

tis fiat, ea lege, ut tantumdem ejusdem generis post aliquod tempus restituat. Quod postea debitor acceptam pecuniam in negotiationem, in luxuriam, in ludum, in victum, aut vestitum infumat, quod eam in mare projiciat, quod in scrinio inclusam conservet, extraneum plane est mutui naturæ. Usus pecuniæ acceptæ consequitur mutui naturam, atque adeo eam ingredi nequit. Falluntur, ut toties dictum est, usurarum Patroni, dum negant pecuniam in negotiatione consumi. Aequè enim consumitur pecunia, dum alienatur ad merces emendas, ac ad cibos comparandos. Utrobique enim consumptio moralis est, in alienatione sita. His quisquillis, & technis implicat gravissimum Ecclesiæ Catholicae dogma, & præceptum.

VII. At fraudem, dolumque retegimus oportet in adulterandis finitionibus ex S. Antonino, & Thoma adductis. Commentitiam finitionem Authoris istius *Coreur* conceptis verbis explodit loco ab eodem laudato paucis de more verbis S. Thomas. Inquit enim 2. 2. q. 78. a. 1. Accipere usuram pro pecunia mutuata, est **SECUNDUM SE INJUSTUM**. Nulla ergo sive pauperum, sive divitum ratione habita, sed absolute D. Thomas, & secundum se injustum asserit lucrum ex pecunia mutuata acceptum. Conditio personarum pecuniam accipientium mutui naturæ extranea omnino est. Quid quod illo ipso loco Doctor sanctus usurarium lucrum esse docet ab ipsis mercatoribus acceptum. Hoc quippe argumentum sibi opponit: *Mgis a se pecuniam alienat qui eam mutuando dominium transfert, quam qui eam mercatori, vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commissa mercatori, vel artifici. Ergo licet etiam lucrum accipere de pecunia mutuata.* Cui objectioni hoc præbet responsum. Ad quintum dicendum, quod ille qui mutuatur pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuatur; Unde ille cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenetur eam restituere integre; Unde non debet amplius exigere il-

le, qui mutuavit: sed ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum Societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum; sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de eo negotiatur, vel artifex operatur: Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expectare, tamquam de re sua. Distinguit hic Angelicus pecuniam mutuo mercatori datam, a pecunia eidem in Societatem collata. In illa, secus in hac, transferri docet dominium: atque ad eo aliquid lucri ex Societate, minime ex mutuo, exigi posse concedit. Fraude igitur summa Angelico Doctore imponit *Coreur*, dum effutit, S. Thomam definire usuram relative ad pauperes, secus ad mercatores.

VIII. Non minori impostura definitionem S. Antonini in pravum sensum detorquet, depravatque. Verba Archiepiscopi describamus ex 2. parti. 6. §. 1. Prævideamus primo, quid sit usura, & exinde quomodo sit falsa, & fraudulenta excusatio ejus. Usura secundum Goff. est quidquid sorti accedit, præcedente intentione, vel pacto. Vel secundum alios, & clarius: Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum: ut si mutuo tibi centum florenos, hac principali intentione, ut aliquid plus ultra centum recipiam: vel si mutuo tibi certas mensuras frumenti, vini, & olei, & hujusmodi, quæ usu consumuntur, & plus ex hoc requiro, quam ipsum capitale in valore, usuram committo, ut dicitur 14. q. 3. usura est. Et primam quidem fraudem, & dolum committit usurarius, quando ex mutuata pecunia non querit plus in pecunia numerata suo capitali; sed in aliquo alio, ut frumento, vino, fructu domus, vel agri servitio aliquo, vel operis, quod utique usura est. 14. q. 43. plerique. Hanc eandem definitionem fusius explicat cap. 7. §. 1. Definitur etiam sic usura, lucrum ex mutuo principaliter intentum. Lucrum dicitur proprie incrementum, quod quis habet ex voluntaria commutatione, ultra ea, quæ prius sua erant &c. & dicitur mutuum, quasi de meo tuum; quia transfertur dominium rei mutuatae

in eum, cui mutuatur, & stat periculo ejus: unde proprie locum habet in his, quæ usu consumuntur, ut victualia; vel distrabuntur, ut pecunia numerata: & ideo debitor gravari non debet ultra restitutionem capitalis. Secus autem est in locatione, & conductione domorum, & agrorum, vel equi, bovis, & hujusmodi. Nam dominium non transfertur in accipientem, sed remanet penes Dominum, & ejus periculo stat: & ideo licite speratur, & petitur lucrum pro re locata. Ubi hic vel leve vestigium definiri usuram per respectum ad pauperes? Fraudulenta ergo est interpretatio *Coreur*. Si plura cupis, consule D. Gayte, qui fuso calamo Authoris istius fraudem exponit. Plura dicenda occurrerent adversus Authorem Italem, qui non majori sinceritate laudatos SS. Doctores interpretatur.

§. IV.

Brevis animadversio in usuræ finitiones, quas ex Theologis, & Canonistis congerit Nicolaus Broedersen. Illius **ERRORES**, & fraudes.

I. Quoniam ex perspicua usuræ notionem decisio pendet controversiæ; idcirco usurarum Patroni nullum non movent lapidem, ut communem Catholicorum definitionem implicent, obnubilent, corrumpantque. Nonnulla jam dedimus eorum, quæ adversus hanc definitionem congerit Nicolaus Broedersen. Usuram male definiri ex mutuo contendit, ut supra patefeci. Quia vero opportunam ille suæ erroneæ doctrinæ fucandæ finitionem reperire nequivit, omnium fere Catholicorum Theologorum, & Canonistarum definitiones congerit, singulas cavillatur, & invicem illas pugnare contendit. Verbis tantum diversæ sunt, at re omnino eadem. Si tantum tibi & otii, & patientiæ fuerit, lege illum lib. 1. part. 2. cap. x. & cap. xv. In hoc solo postremo cap. pagina 35. implet solis definitionibus, quas ex variis Authoribus excerptit. Centum equidem

implere paginas deberem, si ejusdem recensere, non dico refutare, vellem sophismata, fraudes, & cavillos eo loco congestos. Num. 178. narrat, S. Antoninum eum usurarii criminis non condemnare, qui, cum voluit uti capitali suo ad utiliter negotiandum, aut emendas terras &c. alteri dictum caput, sive eam pecuniæ summam pretio utendam concessit. Hæc refert Broedersen, ut insinuet lectoribus, sanctum Archiepiscopum docuisse licitam hoc in casu esse usuram. In toto suo grandi volumine a capite ad calcem confundit compensationem damni, seu id, quod interest creditoris, cum usura lucratoria. Legatur D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. xv. ubi hunc casum proponit. Quid cum haberem pecuniam, & volebam ire ad nundinas, & ibi merces emere, & ad alium locum deferre, vel servare lucri causa certo tempore, vel possessionem emere. Tu indiges pecunia illa recipiens eam mutuo a me, offerens paratum te illam restituere cum lucro sperato in termino, & loco, est ne usura? Respondet Innocentius dicens, quod licet quidam contrarium dicant, ipse tamen putat hunc contractum usurarium; nec scit sic contractantem excusare. Hostiensis vero in cap. Salubriter, dicit, quod talis est mihi obligatus ad interesse illius lucri &c. Joannes Andreas approbat dictum Innocentii & hoc etiam placet Joanni Caldario. Sed Joannes de Lignano dicit, quod quamvis **COMMUNITER** teneatur cum Innocentio, ne via fraudibus aperiatur, ipse tamen credidit veram opinionem Hostiensis, dummodo fiat nil in fraudem. Tutum tamen est ab hoc abstinere. Laurentius de Ridolphis. Quod etiam dicit Hostiensis de lucro, videtur intelligendum deducto etiam dubio lucri: cum scilicet potuisset etiam non lucrari, vel perdere, & ante factum prohibendus est; post factum vero in foro conscientiæ, ubi credendum est pro se, sicut contra se, cum asserit sine fraude fecisse, videtur posse pertransire. Quod enim licitus sit talis contractus, simpliciter **INTUITU PIETATIS** factus, non in fraudem usuræ, tripliciter potest probari. Primo ratione æquitatis Secundo hoc licet

licet ratione indemnitas Tertio hoc licet ratione utilitatis.

II. Concludit autem his verbis. Sed si extra casum necessitatis, & pietatis precibus amici hoc facit, tunc eo ipso vincitur, quod potius vult uti in usurario mutuo, quam in mercatoribus ut vero capitali; unde contractus erit usurarius. Duo animadvertenda. Primum spectat imposturam Broedersen, imponentis S. Archiepiscopo, quod usuram lucrativam, de qua est controversia, licitam aliquo in casu docuerit. Alterum recentiores Casuistas respicit, passim, & fere indiscriminatim admittentes lucri cessantis titulum.

III. Infinitus essem, si quæ Broedersen de solis usuræ definitionibus refert,

expendere vellem. Puto enim plusquam sexcentos modos definiendi usuram illum recensere. Patientia, fateor, tanta mihi vix fuit, illos omnes, vel cursim legendi. Infarcit quippe homo iste omnia, sive opportuna, sive importuna. Post relatas aliorum finitiones, scribit pag. 108. num. 218. Mutuum secundum sacram Scripturam, & SS. Patres, accipi pro donatione usus cujuscumque rei, supra ostendimus cap. III. & seq. Verum quæ disputatio, Deus bone, esse cum homine potest, qui unum contractum specie diversum ab alio, pro alio accipit? Mutuum videlicet ille pro donatione habet. Hoc fat est, ut colligas, quanti sit faciendus Author iste.

C A P U T V I.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Contra Mutui siquidem legem, quæ necessario in dati, atque „ redditi æqualitate versatur, agere ille vincitur, quisquis, „ eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi „ mutui ipsius, cui per æqualitatem jam satis est factum, exi- „ gere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo „ erit obnoxius, ex ejus obligatione JUSTITIÆ, QUAM „ COMMUTATIVAM appellant, & cujus est in humanis con- „ tractibus æqualitatem cujuscumque propriam, & sancte serva- „ re, & non servatam exacte reparare. “

ERROR CAPITALIS

Nicolai Broedersen, & ejusdem Itali Interpretis, qui defendunt in mutuo non transferri dominium, damnatus in laudato Pontificio Textu.

I. L Ucrum receptum ratione mutui restituendum jubet Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. vi justitiæ commutantis. Ergo in mutuo transferri dominium definivit. Consequentia hæc adeo evidens, adeo ne-

cessaria est, ut nemo sanæ mentis vel in disputationem revocare eam valeat. Si penes creditorem pecuniæ mutuati- tæ dominium remaneret, is profecto vi Justitiæ commutantis haud esset as- trictus lucrum acceptum propter officium mutationis restituere ei, qui mutuam suscepit pecuniam: rei quippe suæ fructum accepisset. Nemo autem quod suum est, vi justitiæ commutantis restituere alteri obligatur. Usuram justitiæ commutanti adversari Romana Sedes definivit. Proscriptum ergo

ergo Adversariorum principium, cum charitate tantum pugnare usuram afferentium.

II. ERROREM CAPITALEM hunc voco, quod ab hac domini translatione tota pendet controversia, quæ modo iam finita est, cum Romana Sedes definierit, lucrum scænebre justitiæ commutantem violare. Ipsi Adversarii fatentur, hoc potissimum esse controversiæ caput. Ne gratis hæc asserere videar, unius Itali Interpretis Broedersiani rescribere vel invitus cogor verba sequentia ex pag. 198. „ Altra „ ragione viene appreso decantata fo- „ pra tutte le altre: che quando altri „ dà a interesse, trasferisce il dominio, „ di modo, che que' mille scudi non „ sono più di chi gli diede; ma uni- „ camente di chi gli ha ricevuti. Or „ non è giusto, dicono, che la cosa „ frutti ad altri, che al suo Padrone, „ e non può chi la diede volerne ri- „ cavar frutto, quando non è più sua. „ Questo è il fondamento massimo, e si „ può dire unico degli argomenti Avver- „ sarj da questo: hanno desunto la „ forza da loro voluta nel mutuo, e „ su tal supposto, sogliono procedere „ tutti i loro ragionamenti, e dottri- „ ne. Conviene dunque fare ampiamente „ conoscere quanto insufficiente così fat- „ to appoggio sia, e come il loro sup- „ posto da alcuni equivoci fosse mera- „ mente prodotto. Al che prima di „ divenire dover vuole, che si chieg- „ ga a i dotti Moralisti perdono: non „ ad altri, che ad essi stessi vuol ri- „ messa chi scrive la decisione di que- „ sto punto; ma implorando, che si „ degnino solamente di scorrere pri- „ ma, ed esaminare quanto in pochi „ versi si è qui per addurre.

III. Officii, & obsequii nostri erga Cl. Scriptorem Italum ratio postulat, ut ab illo ipso veniam, unaque facultatem unitis veritatis manifestandæ imploremus & nos. Quænam veritas isthæc? Hujusmodi: nimirum jam ab uno, & amplius sæculo Molinæum, post Salmasium, Noodt, cæterosque Calvinistas, & novissime Broedersen,

omnia, quæ ipse Interpres scribit, & plurima alia robustiore efficacitate, & uberiore eruditione Catholicis opposuisse: & contra doctissimos Theologos hæc omnia severius expendisse, & penitus labefactasse. Addiderim, quinque sæculorum intervallo fulgentiora Ecclesiæ Catholicæ lumina, SS. nempe Raymundum, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Bonaventuram, Antoninum, Bernardinum, cæterosque gravissimos Viros, hanc in mutuo domini alienationem, acri præmissio examine, adprobasse. Quid, quod sapientissimi Jurisconsulti, & universa Jurisprudencia, tamquam veritatem extra aleam constitutam, exploratamque habet, in eum, qui accipit, mutuatiæ pecuniæ dominium pertransire? Quod porro his quinque ultimis sæculis docuere Catholici, semper docuit Romana Ecclesia, ut mox dicam.

IV. Nicolaus Broedersen in suo de Usuris licitis, & illicitis volumine lib. 2. p. 2. §. 2. omnia de more confarcinat, quæ Protestantes pro defendenda usura scripsere. Ucinam illorum saltem sinceritatem imitatus esset. Fatentur illi in Ecclesia Romana oppositum defendi. At Janfenista Broedersen plane effrons lectoribus imponere suis studet; & Scripturam, & Patres, & Ecclesiam Romanam docere asserit doctrinam, quam ipse cum suis propugnat. Pauca cursim indicabo, ut de corpore (ut ajunt) delicti nulla remaneat suspicio. Num. 203. scribit: In mutuo transferri plenum dominium, est contra S. Scripturam. Pluribus ex veteri Testamento relatis testimoniis num. 206. addit: Ab his non discrepant expressiones, quibus ipse Dominus utitur in Evangelio. Et num. 207. Nunc examinemus ex multis aliquot SS. Patrum testimonia, & videbimus, illos nihil minus cogitasse, quam quod verum, & perfectum dominium per mutuum transferretur. His agglomerat innumera Ethnicorum documenta, & demum rationes. Quæ ideo indicavi, ut compertum omnibus sit, Broedersen cum suis adversus Catholicæ Ecclesiæ doctrinam classicum canere.

V. Pauca nunc exhibenda veniunt eorum, quibus Catholici omnes evincunt in mutuo dominium transferri. Mitto Scripturarum, & Patrum documenta, quod hæc infra daturus sim. A legibus initium capiam. Paulus *lib. 2. ff. de rebus creditis*, hanc regulam tradit: *Appellata est autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio.* Paulo succinit Imperator *lib. 3. Instit. art. 15. Quoniam nobis non eadem res, sed alia ejusdem naturæ, & qualitatis reddantur; inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo fiat tuum, & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur condictio.* Luculentiora hæc sunt, quam ut explicatione egeant. Invidiam istius alienationis rationem leges ipsæ exhibent. Siquidem *l. 54. ff. de reg. Jur.* hæc habentur: *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet.* At qui mutuo pecuniam accipit, in alium hominem ejusdem dominium transfert; immo donare, ludere, legare, permutare vendere rem mutuo acceptam valet. Dominus ergo illius est. Nemo quippe dat quod non habet. Dat pecuniæ scænebris alteri dominium: Habuit ergo ipse prius. Si mutuatori dominium inesset, ubicumque is suos, ut ajunt, in individuo reperiret aureos mutuo datos, & a debitore distractos, repetere jure posset. Si conductores domorum, agrorum, equorum, hæc vendant, locatores in cujuscumque manibus hæc reperiant, tamquam bona sua auferunt, juris ordine servato. Quoniam ubicumque res fuerit, ad Dominum suum clamat. Secus accidit in rebus mutuo traditis. Quamobrem inquit Ulpianus. *Si fur nummos tibi credendi animo dedit, accipientis non facit. lib. 13. ff. de rebus credit.* quoniam fur surreptæ rei dominio non potitur. Accedit, quod secus fieri nequit. Mutuum enim situm est eis in rebus, quæ usu consumuntur. Quare nequeunt illæ ad usum dari, quin dentur ad abusum. Quæ autem ad abusum traduntur, necessario alienantur. Uti-

que usus facti separari a proprietate valet. At jus utendi rebus consumptibilibus, a proprietate, & dominio jungi nequaquam potest. Præterea debitor, non eandem ipsam rem, quam accipit, reddere creditori debet; sed aliam ejusdem naturæ, quantitatis, & qualitatis. Alienatur ergo illa ipsa, quæ mutuo tradita est. Enimvero si alienata non esset, illa ipsa restitueretur. Postremum actio, quam mutuator ex mutuo indispicitur, non in rem est, sed in personam. Si res alienata non foret, in ipsam rem conditionem, seu actionem creditor haberet. Quoniam Dominus vindicare rem suam jure potest. Mutuator autem rem, quam dedit, vindicare nequit: ergo illius Dominus esse desit.

VI. Unum, & alterum textum opponunt Salmasius, & illius exscriptores tum Transalpini, tum Itali. *Æs alienum est, quod nos aliis debemus. Æs suum est, quod alii nobis debent. l. 213. ff. de verb. signif.* Idem Ulpianus *l. 55. ff. de solut.* hæc docet: *Qui sic solvit, aut reciperet, non liberatur: quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur.* Ulpianus hoc in posteriore textu de ludicra, & jocosa solutione loquitur, in qua sic nummi dantur, ut iidem recipiantur. In mutuo nec iidem nummi, nec statim repetuntur. Ideo oppositio inutilis: potissimum quod Ulpianus ipse, & universa Jurisprudencia in mutuo alienari dominium conceptis verbis docent. Prioris autem textus intelligentia hæc est. *Æs alienum, & æs nostrum dicitur ratione juris, vel contractæ obligationis; siquidem non modo æs nostrum dicitur ratione proprietatis, & dominii, verum etiam juris fictione nostrum dicitur, quod jure, aut actione aliqua vindicare nobis possumus.*

VII. Adeo luculenta hæc sunt, ut Salmasius ipse concedere coactus fuerit in mutuo alienari dominium. *Dominium* (inquit de Modo usur. cap. 14.) *rei mutuo data ad accipientem transit: quod quidem ideo fit in rebus ponderis, numeri, & mensuræ, quia aliter usus earum*

earum concedi non potest, utpote qui in abusu consistat. Duo tamen in nummis distinguit. Corpus metalli: & ejusdem valorem. Corporum, non valoris, dominium alienari contendit. Papæ! Sibilis, & cachinnis Scituli nostri excipiunt Scholasticos disputantes: *Utrum quantitas a corpore quanto realiter distinguatur.* Hi vero Eruditorum Ocelli, ut usuræ flagitium propugnent, metaphysicam Scholasticorum distinctionem rei negotiatoriæ, quæ metaphysicas rejicit abstractiones, eruditissime applicant. Cedo. Quantitas separatur ne re ipsa a corpore quanto? Quis nisi demens in quantitates a corporibus, & in hominum ideis sitas dominari gestit? Serio quæso ratiocinentur Eruditi nostri. Corpora nummorum cum eorumdem quantitate, & quantitas una cum corporibus in Debitoris dominium transeunt. Alienatio non speciem, sed individuum afficit. Non vinum, non oleum, non animal, sed hoc vinum, hoc oleum, hic equus alienatur; quemadmodum non animal, non equus corrumpitur, aut generatur, sed hoc animal, hic equus. Nulla ergo merces pro istorum accipi mutuacione potest.

VIII. Sed ad incitas redigamus Salmasium ex iis, quæ ipse concedit. Nummorum corpora, ipso fatente, alienantur. *Quis enim (inquit Disquis. de mutuo pag. 11.) unquam negavit, res mutuacionis, idest pecunias, quæ dantur in mutuo, corpora nampe ipsa accipientis fieri, in eum dominium earum transire, ac proinde alienari?* Nummorum corpora accipientis fiunt, concedente Salmasio. Sed corpora, minime quantitates, sunt, quæ mutuo creduntur. Ergo nullum parere creditori pretium hæc possunt. Dicant quæso nobis usurarum Patroni: Quando ipsi emunt, aut vendunt triticum, vinum, & cætera ejusmodi, quantitatem ne, ancorpora emunt, venduntve?

IX. Verum, misso Salmasio, cæterisque hæreticis omnibus, ad Broedersen, aliosque illi adherentes orationem converto; & prætermissa argumentatione a ratione, legibusque civi-

libus arcessita, ad auctoritatem causam revoco. Certamen ineundum non eo spectat, ut impræsentiarum veram esse doctrinam de alienatione dominii in mutuo evincam, sed ut factum patefaciam. Ajo ergo, a Petro Lombardo ad hæc usque tempora, Catholicos Theologos omnes, Jurisconsultos, & Sacrorum Canonum Interpretes, Pontificesque omnes docuisse dominium pecuniæ scænebris in accipientem transire. Initium capio a sæculo circiter XII. non quod priorum temporum Doctores eandem non propugnarent doctrinam, sed quod ab inventa Scholastica Theologia pressius, & enucleatius discuti hæc quæstio cepta fuerit. Cæterum, si aliunde nobis antiquorum testimonia deessent, unanimis consensus omnium posterioris ætatis Doctorum evidenter ostenderet, omnium sæculorum Doctrinam eandem fuisse. Una quippe semper fuit, eritque Ecclesiæ Doctrina Fidei, & morum. Quid ergo Broedersen, & quidam alii Scriptores fucum imperitis faciunt, inquietes, sententiam hanc, quorundam dumtaxat esse Moralistarum? Est sane omnium, nemine discrepante, Theologorum. Si quis aliquid sentit, damnatus fuit. Sed ut aliquo illi tangantur sensu, audiant nomina aliquorum dumtaxat, qui potissimum hanc propugnarunt sententiam; videlicet SS. Raymundi, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Alberti Magni, Alexandri, Scoti, Durandi, Antonini, Bernardini, ut mille alios præteream. Quid, si unum solum Thomam Aquinatem in medium efferrem? Is in sola sua Summa quatuor integris articulis rem hanc discutit. Naturæ jura, officia, & quæ inde proficiuntur onera, & obligationes, tanta perspicuitate, profunditate, & eruditione dispicit, explanatque, ut nihil hactenus alicujus momenti Adversarii in medium attulerint, quod ipse in antecessum non labefactaverit. Quid de Alberto Magno? Quid de Bonaventura? Quid de Scoto? Quid de innumeris aliis dicam? Adversus istos omnes classicum canit

Broedersen, cum suo Italo Interprete. Quamquam non illum temeritatis arguo, quod aut adversus Thomam, Bonaventuram, & omnes alios Theologos arma strinxerit; quodque omnium Catholicorum doctrinam refellere, vellicare, deridere ausus fuerit. Illum præcipue redarguo, quod Catholicus audire velit, eo ipso tempore, quo ab omnium Catholicorum doctrina recedit. Quid ad hæc *Broedersiani*? Negabunt ne, Catholicos omnes docere in mutuo transferri dominium? Solem in meridie lucere inficiarentur? Illos provoco, ut vel unum præstantem aut Theologum, aut Canonistam, aut Jurisconsultum non proscriptum ab Ecclesia adducant, qui dominium non transferri in mutuo doceat.

X. Sed ratiunculas audiamus, quibus *Broedersen* cum suis lib. 2. p. 2. cap. 7. §. 2. negat in mutuo transferri dominium. Quas ex Scripturis, & Patribus, ex Jure Civili eruit, prætereo, ut nimium ineptas. Quas ab ipso naturæ jure elicit perstringam; eas nimium, quas etiam Auctor Italus pag. 199. & seq. ex Molinæo, Salmasio, & *Broedersen*, opponit. 1. Nonne, inquit illi, post pecuniam mutuo datam jus mihi remanet illam, quoad vitæ, vendendi, donandi, de eaque testandi, non secus ac antea? Quis ergo dicet, meam non esse post mutationem pecuniam præfatam? 2. Ut dominium transferatur, meus requiritur consensus. Interrogentur omnes mutuatores; & nemo unus asseruerit, se velle abdicare dominium pecuniæ, quam mutuo tradit. 3. Contractus, in quibus dominium transfertur, sunt venditionis, & donationis. Porro qui mutuo dat pecuniam, eam nec vendit, nec donat, sed locat. 4. Non est usus cum dominio confundendus. Qui agrum locatum accepit, suo arbitrio colit, nec propterea illius est Dominus. Aliud est dominium utile, aliud proprietatis, aliud directum. Consulatur Alvarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 56. ubi dominium ab usu in rebus consumptilibus distinguit. 5.

Quando alicujus Familiæ bonorum inventaria fiunt, an omittuntur credita pecuniæ mutuo datæ? 6. Quid, quod omnes mutuatarii se debitores fatentur? Omnes testantur pecuniam mutuo acceptam, non esse suam, sed mutuatores. Idque Ulpianus docet lib. 23. ff. de verb. signif. Hinc concludit, vix reperiri punctum in disputationem adductum tanta evidentia, ac istud, demonstratum. Ecce ergo (ille subdit) Casuistarum Turbæ oppositam doctrinam docent? Quia decepti uno Juris Civilis textu, falso in sensu illum interpretati sunt. Paucis verbis arcanum, inquit ille, referam. Alter, nempe debitor, dominus est usus. Alter, nempe creditor, dominium habet. Pauca verba transcribo ex Itali Interpretis *Broedersiani* pag. 202. ne hæc gratis asserere videar: Io crederei di poter dire, che pochi punti disputati, si veggan ridotti a così manifesta dimostrazione. Ma come dunque, dirà què ogn' uno, la corrente de' CASISTI si accordò nella contraria opinione, e mostra aver per principio primo, che si trasferisca il dominio. Audi & ipsum Nicolaum *Broedersen* lib. 2. p. 2. & 7. num. 234. pag. 195. Igitur cum secundum S. Scripturam, sanctos Patres, omnique generis sapientes Ethnicos, communem hominum sensum, & loquendi rationem, non modo quondam, sed & nunc, & rectam rationem in mutuo non transferatur plenam, & perfectum sortis dominium, sequitur nequaquam posse affirmari, OMNEM USURAM, sive, ut dicunt Adversarii, omne lucrum ex mutuo, ideo iniquitatis damnandum esse, quia ex re aliena, sive in plenum, & perfectum alterius translata dominium acquireretur.

XI. Audistin singulares arcanorum Interpretes? Argutationes istæ viris, a partium studio alienis, nugæ videntur: admiranturque isti in *Broedersiani* animi granditatem, quæ adversus universos Ecclesiæ Catholicæ Doctores Tribunal erigunt, & censoriam virgam in eosdem nimis fidenter exercent. Sed quod omnes admirationis limites tranfilit, est, quod *Broedersiani* Catholicos

se

se velint jactare, & sententiam ab hæresis suspitione immunem defendere contendant, vel dum doctrinam ab omnibus Catholicis propugnatam refellunt, contemnunt, conculcant. Nec hanc doctrinam impugnant tamquam rationem minus efficacem ad fulciendum Ecclesiæ Dogma adversus usuram; sed eam oppugnant, quod potissimum hæresim de usura evidentissime manifestat. Sublata enim hac ratione in domini translatione sita, nulla alia efficax superest, qua probetur lege naturæ vitatam usuram esse. Alterum ergo *Broedersiani* præsent oportet: nimirum, vel illi doctrinam suam retractent; aut Religioni Catholicæ nuncium remittant. Nulla hic ad effugium via patet. Quoniam ideo hi dominium transferri in mutuo pernegant, ut propugnent, non omnem usuram esse vitatam. Quid ergo *Broedersen*, & Author Operis *Dell' impiego del danaro*, cavillantur?

XII. Ad sophismata, quæ ex eisdem *Broedersiani* recensuimus, responsa obvia sunt. Et quidem ad 1. Jus post mutationem remanet ad repetendam summam, quia cum onere restituendi tantumdem data fuit. Respondeant *Broedersiani*. In contractu venditionis transfertur ne dominium? Ajunt. Pretium in ipsa venditione non est solum: sed emptor soluturum se spondit. Jus, quod habet venditor ad exigendum hoc pretium, est ne verum dominium sive in pretium, sive in agrum divenditum? Non audebunt affirmare. Discant ergo eruditi homines illi, aliud esse habere actionem ad rem aliquam, aliud habere sub dominio. Potes talem actionem, seu jus vendere, donare, legare; verum habet. Numquid locare hoc jus vales ante realem traditionem; & annum proventum exigere? Locantur ne actiones ad rem? Et tamen locari possunt res sub proprio dominio constitutæ. Rerum notiones ignorant, turpiterque confundunt eruditi illi novæ Theologiæ Magistri. Maltum enim differt (inquit Cicero in *Topicis*) in arca ne positum sit argentum,

an in tabulis debeat. Boetius vero hæc Tullii verba explicans, inquit: Nam quæ posita in arca pecunia est, juris est nostri: in nominibus autem debita, non est nostra. Nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo, non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori; sed aliam tantam. Ad 2. Verum est dominium non transferri absque libero consensu. Omnes vero qua voluntate mutuari, aut vendere volunt, eadem transferre dominium velint oportet in accipientem; hoc tamen adjecto onere, ut emptor solvat pretium, & accipiens mutuo pecuniam tantumdem non in specie, sed secundum genus reddat.

XIII. Non modo in venditione, & donatione, sed etiam in mutatione dominium transfertur. Quod subditur in mutuo pecuniam locari, quemadmodum locantur agri, & domus, & equi, crassus error est. Et tamen hoc est unicum fundamentum, cui Molinæus, Calvinus, Salmasius, cæterique Hæretici suam fidunt hæresim de Usura Lucratoria. Hæc unica ratio est, quam infeliciter adoptant *Broedersiani*; simulque hujus ope Catholicam propugnare doctrinam contendunt. Quin Italus *Broedersen* Interpres pag. 203. scribit, nullum in tota antiquitate vestigium haberi doctrinæ, quam, nemine discrepante, docent Catholici omnes a sæculo XII. ad hæc usque tempora: Vestigio di essa in fatti non avendendosi in tutti i monumenti Ecclesiastici. Intrepida profecto assertio, quæ dissimulari benigne potius, quam refelli deberet. Tamen, ne silentium nostrum victoriæ sibi vertat, accipiat quod ipsi luculentissimum exhibemus documentum. S. Joannes Chrysostomus, sive quicumque sit Operis imperfecti Author homil. 38. in cap. 21. Matth. hoc præbet responsum ad oppositum sophisma: *Ahuc dixit aliquis. Qui agrum locat, ut agrariam recipiat; aut domum, ut pensiones recipiat, num est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primum quidem, quoniam pecunia, non ad aliquem usum disposita est, sicut ager,*

E. 2.

vel

vel domus, sed ad pretium emendi, vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo. Similiter, & qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, & pecuniam accipere, & quodammodo quasi commutare videtur lucrum cum lucro. Pecuniam autem si repositam in sacculo teneas apud te, nullum usum capis ex ea. Tertio ager, vel domus utendo veterascit, pecunia autem, cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit. Franciscus Hottomannus tom. 1. cap. 3. testatur luculenter, ac prope divinitus (inquit Noodt lib. 1. cap. 7.) loqui Chrysostomum, ejusque rationes gravissimas, atque eruditissimas appellat. Hæc serio perpendat animo Antiquitatis Magister eximius.

XIV. S. Thomas sophisma, quod Hæretici, & Broederiani nostri tam alte exaggerant, sibi proponit in 3. disput. 37. quæst. 1. art. 6. num. 5. Præterea plus afficitur mihi debitor ille, in quem transfusi dominium rei meæ, quam ille, cui solum usum rei meæ commisi. Sed in rebus, in quibus non transfertur dominium, si concedantur ad aliquem usum, licet inde aliquid accipere, sicut patet in locationibus domorum, equorum, & hujusmodi. Ergo multo amplius licet mihi accipere ab eo, in quem per mutuum pecuniæ meæ dominium transfusi.

XV. Hoc est argumentum, quod sibi proponit Doctor sanctus, cum aliis quinque. Lubet totum doctrinæ corpus transferre. Respondet dicendum, quod ab omnibus dicitur communiter, quod dare ad usuram peccatum mortale est. Sed diversi diversas rationes assignant. Quidam enim dicunt, quod ideo pecuniam pro certo lucro concedere non licet (sicut domum, vel equum, vel alia hujusmodi), quia pecunia non deterioratur ex usu, sed aliis rebus aliquid deperit ex usu. Sed ista ratio non est generalis: quia in aliquibus rebus, pro quarum concessione aliquid potest accipi licite, nihil ex usu deperit; sicut in concessione domus ad usum ad unum diem: & præterea præ-

tium, quod accipitur, non commensuratur damno, quod accidit ex usu rei. Non enim tantum deperit in mutuo, quantum datur. Et ideo alii assignant aliam rationem; quia videlicet, quando pecunia mutuatur, transfertur dominium, quod non fit in domo, & in aliis rebus. Justum autem videtur, quod pro usu rei, quæ mea remanet (scilicet domus), aliquid accipere possim; sed pro usu (scilicet pecuniæ) quæ sit alterius, ex hoc ipso, quod mutuatur, aliquid accipere, nihil aliud est, quam accipere aliquid ab aliquo pro usu rei propriæ, & ideo videtur, quod est quædam exactio, & peccatum. Et hæc ratio satis probabilis videtur. Et ideo simile accidit in omnibus rebus, in quibus transfertur dominium per mutuum, sicut granum, vinum, & hujusmodi, pro quorum usu nihil accipere licet ultra valorem ejus, quod mutuatum est. Potest tamen & alia ratio assignari; quia omnes aliæ res ex se ipsis habent aliquam utilitatem: Pecunia autem non; sed ex mensura utilitatis aliarum rerum; ut patet per Philip. 5. Ethic. & ideo pecuniæ usus non habet mensuram utilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus, quæ per pecuniam mensurantur, secundum differentiam ejus, qui pecuniam ad res transmutat. Unde accipere majorem pecuniam pro minori, nihil aliud esse videtur, quam diversificare mensuram in accipiendo, & dando; quod manifeste iniquitatem continet.

XVI. Hactenus S. Thomas in corpore articuli. Post ad argumentum relatum paucis respondet: Dicendum quod hoc ipso, quod dominium pecuniæ transfertur, est ratio, quare pro usu ejus nihil accipere debeam, vel sperare quasi mihi debitum.

XVII. Illud quoque argumentum sibi opponit S. Doctor, quod magnificent usurarum Patroni, & potissimum Molinæus num. 10. videlicet, si mercator ex mea pecunia lucrum, & commodum capit; quidni & ego partem exiguam lucra

lucris istius accipere potero? Quid tam consentaneum rationi, quam quod particeps sim commodi pecuniæ, quam ipse tradidi mercatori? Ille ex mea lucratur pecunia, & partem exiguam talis lucris mihi capere vetitum erit? Quæ lex, quæ ratio id vetat, aut jure vetare potest? Audiant Broederiani, Molinæi, Salmasii, & Noodt Exscriptores sinceri, hoc argumentum a S. Thoma propositum loco cit. num. 4. Non minus possum accipere ab eo, cui beneficium contuli. Sed si aliquis, cui non mutuassem, aliquid mihi daret de suo, etiam si sperassem accipere, licite destinere possem. Ergo & ab eo, cui beneficium contuli, mutuum concedendo, licet mihi aliquid expectare, recipere, & detinere. Poterat ne clarius hodiernum objectum proponi? Audiant nunc responsum Broederiani, quibus in inflatis ineptam argutationem exaggerant, amplificantque.

XVIII. Ad 4. dicendum, quod ab eo, cui beneficium contuli, licet mihi tantum sperare, & accipere, quantum feci, & non plus. Quidquid autem de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, ultra mensuram mutui ex pecunia mutuata, hoc est ex industria ejus, qui sagaciter pecunia usus est. Industriam autem ipsius ei vendere non debeo. SECUS NEC PRO STULTITIA EJUS MINUS HABERE DEBEO.

XIX. Legant hæc, & alia plurima, quæ prætereo tum in Chrysostomo, tum in Aquinate Broederiani, & cognoscant nihil a semetipsis obrudi, quod ab his, aliisque Patribus non fuerit penitus convulsus, dum errorem usuræ a solis Hæreticis propugnatum refutarunt. Videbunt non confundi ab illis dominium rei cum ejusdem usu. Ad 4. objectum responsio ex se patet. Alvarus Pelagius loquitur de usu facti, quem vi voti paupertatis licitum Franciscanis asserit. At sciant oppositores, aliud esse usum facti; aliud jus utendi. Hoc in rebus usu consumptilibus, non separatur a dominio. Theologiæ Tyronibus comperita hæc sunt. Quæ 5. & 6. loco oppo-

nuntur, festiva sunt. Mutuatores inter sua credita recentent pecunias mutuo datas. Sua, inquam, illa vocant, & sunt re ipsa, quatenus actionem ad eadem habent. Habent ne propterea verum in illa dominium? Utinam. Non fallerent, nec fallerentur. Ecurrunt? Quod nequeant a debitoribus, qui ambitionem, fastum, luxuriamque alere volunt Mercatorum dispendio, credita sua exigere; & datas sub proprio dominio pecunias revocare. Cedo. Quid est dominium? Facultas utendi re in omnes usus, & in proprium commodum. Interroget Broederiani Mercatores, vel Mutuatores, utrum valeant in proprium commodum uti pecuniis, quæ sibi a debitoribus debentur, vel quas mutuas dederunt.

XX. Notiones rerum ignorant novi in Theologia Magistri, & dominium rei cum jure, & actione ad rem, nimis crasse confundunt. Dominium fundatum in actione ad rem, a Jureconsultis vocatur dominium largo modo acceptum, & quadam juris fictione, & sub hac quoque fictione nostra dicuntur quæ nobis jure debentur, ut patet ex ff. de verb. signif. l. 143. Nam id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem: habetur enim, quod peti potest. Plura hic dicenda occurrerent, quæ a meo instituto distant. Dominium, juris fictione dictum, imago, & similitudo domini, non verum dominium. Et ne res ad verborum cavillationem revocetur, illius proprie dominium rei est, cujus commodo, & periculo restat, & cedit res ipsa, ut infra dicam. Debitoris periculo stat pecunia fœnebris: & commodo, & lucro creditoris stabit?

XXI. Hæc pauca cursim delibavi, non ut rationes omnes in medium afferrem, quæ evincunt dominium in mutuo transferri, sed ut palam facerem Broederianis, ejusque Italum Interpretem bellum Catholicis omnibus indicere, ut istorum principia, nempe translationem domini in mutuo fieri; & in rebus, quæ usu consumuntur, dominium ab usu non distingui penitus

tus evertant. Quomodo ergo pro Catholica suam nobis doctrinam vendicare audent? Catholici omnes docent in mutuo dominium transferri in debitorem, ut heinc inferant, usuræ scelus justitiæ repugnare. *Broedersen*, alique hoc principium ut ridicularium, fufileque rejiciunt. Ecceur? Ut probent, usuram, seu lucrum perceptum licitum esse; & usuram moderatam nequaquam adversari legi sive naturali, sive divinæ demonstrant. Ergo luce clarius est, doctrinam *Broedersianorum* erroneam esse. Sint falsa duo Catholicorum omnium principia: nempe in mutuo transferri dominium; & in rebus, quæ usu consumuntur, usum absolutum non distinguere a dominio: Negari tamen nequit, quin Catholici omnes his principiis utantur, ut usuræ peccatum demonstrant. Hoc factum luculentum est: Nempe *Broedersianos* negare in mutuo translationem domini: & adfirmare in pecuniam usum a dominio distinguere, ut evincant usuram moderatam ab opulentis mercatoribus perceptam, non esse lege naturali, sive divina vetitam.

XXII. Paucis nunc ad incitas redigere *Broedersen*, ejusque doctrinæ Assertores. lubet. Qui sex priorum sæculorum communem Patrum omnium doctrinam negaret, hæreseos ne censuram vitaret? Doctores sancti posterioris ætatis, sunt ne minoris autoritatis intradenda nobis Ecclesiæ Doctrina ac fuerint priores? Desit ne sæculo XII. Apostolica traditio? An non fuit Ecclesiæ Doctores posterioris ætatis Theologi sancti; ut Raymundus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Antoninus, Thomas de Villanova, Carolus Borromæus, quemadmodum vetustioris ætatis fuerunt Hiero-

nymus, Augustinus, Ambrosius, Basilus? Deseruit ne Deus his ultimis sæculis Ecclesiam suam? Cæci ne non modo Casuistæ numero propemodum infiniti, sed Pontifices Summi, potissimum Alexander III. Urbanus III. Clemens V. Pius V. Sixtus V. Alexander VII. Innocentius XI. Cæci ne Doctores sanctissimi, Aquinas, Raymundus, Bonaventura, Albertus, Antoninus, Bernardinus, Borromæus? Soli ne Calvinistæ, Molinæus, & Salmasius veri Prophetæ? Soli ne Jansenistæ *Broedersiani* cum parvulo Astecularum manipulo divina illustrati sapientia?

XXIII. Sed habeantur pro nullis argumentationes hætenus factæ. Certe quæ sequitur nulla valet tergiversatione eludi. BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola Decretali definit, ut jam indicavimus, lucrum ex mutuo perceptum commutanti Justitiæ adversari. Mutuatorem omnem, qui talia lucra acquirerit, restitutioni obnoxium declarat: *Proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Justitiæ, quam COMMUTATIVAM appellant.* Antequam hanc diceret, rogaretque sententiam, nihil intentatum reliquit Pontifex Summus, ut quæ fuerit semper omnium Catholicorum Doctorum super hac controversia doctrina comperit sibi fieret. Si lucrum ex mutuo perceptum *Justitiæ commutanti* repugnat, restituendumque est vi ejusdem Justitiæ, tamquam res aliena; negari in posterum nequit, salvo debito Apostolicæ Sedi obsequio, pecuniæ scænebris dominium in accipientem transire. Aut ergo doctrinam typis editam retractent *Broedersen*, & ejus Italus Interpreter: aut fateantur, se adversus Catholicorum omnium doctrinam pugnare.

CAPUT

CAPUT VII.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Neque vero ad istam labem purgandam ullum arcessiri sub-
 „ dium poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens, &
 „ nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit,
 „ vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui
 „ deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi
 „ mutuo summam, relicturus otiosam, sed ad fortunas suas
 „ amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis
 „ agitandis negotiis utilissime sit impensurus „.

§. I.

Doctrina Catholica capita adversus
 usuram.

I. Antequam controversiæ statum ob oculos pono, paucis perfringo universæ Catholicæ Doctrinæ capita, quæ Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola declaravit, confirmavitque. Sunt autem ejusmodi. 1. Usura omnis peccatum est. 2. Propria usuræ sedes mutuum est. 3. Mutuum istud situm est in traditione rei usu consumptibilis, seu in consumptionem datæ, ut, post aliquod tempus, tantumdem ejusdem generis restituatur. 4. Rei mutuatiæ dominium in accipientem transfertur. 5. Lucrum scænebris justitiæ commutanti adversatur; propterea vi ejusdem ju-

stitiæ restituendum est. 6. Lucrum istud ab usuræ labe minime purgatur vel ex eo, quod non sit excedens, vel nimium, sed moderatum, exiguumque: 7. vel ex eo, quod a divite, sed a paupere sit exactum: 8. vel tandem ex eo, quod accipiens pecuniam mutuatiæ sit eam ad fortunas suas amplificandas prædiorum, emptione, vel quæstuosis negotiis utilissime impensurus. 9. Ineptissima illa argutatio: „ Pecunia non mutuo, sed ad lucrum, „ ad interesse datur: Ergo nihil definitum „ convulsa remanet.

II. Hæc sunt Doctrinæ capita, quæ Sanctissimus Pontifex in hac sua Epistola reipsa confirmavit. Ex iis, quæ hætenus dicta sunt, intelligere quisque potuit explicandæ, confirmandæque Doctrinæ necessitatem. Pontificia confirmationis verba sunt sequentia.

§. II.